

I, 6.



I, 6.

ANALECTA
DE
BVRGWARDIIS
SAXONICIS
TER TIA.

SIMVL VERO
MVSARVM FAVTORES AC PATRONOS
AD AVDIENDAS
ORATIONES VII.

d. IX. OCTOBRIS clo 10 CC L.
DECENTER INVITAT

CHRISTIANVS SCHOETTGENIVS,
RECTOR.

DRESDAE,
LITERIS KRAVSIANIS.

ff

25.



XXI. XXII. Burgwardia Sulza & Tuchwiha.

De his testatur diploma sequens hoc usque nondum editum:

C. In nomine sanctæ & individuae Trinitatis. Heinricus divina favente clementia rex. Si locis Deo dicatis, juxta petitiones dei servorum nostrorumque fidelium, aliquid beneficii de nostra abundantia copia conferimus, nobis profuturum ad temporalem transfigendam, & ad eternam vitam feliciter obtinendam, liquido credimus. Quapropter pateat omnibus Christi nostrique fidelibus, tam futuris, quam presentibus, qualiter nos pro remedio animarum parentum nostrorum, & ob utriusque vitae propriam & veram felicitatem, scilicet nostri & Agnetis regiae, nostræ contectalis dilectæ, sanctæ Nuwenburgensi ecclesiæ sub honore Sci Petri constructæ, tale præmium, quale in villa Vvidotha in Burchwardo Tuchviha, & in Misensi Marchia nostræ ditioni usum est subjacere, cum omni integritate, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, edificiis, agris, campis, terris cultis & incultis, pratiss, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, molis, mon-

A 2

ANALECTA

lendinis, punctionibus, siluis, venationibus, exitibus & redditibus, uis
& iniuiis, quæstis & inquirendis, cum omni utilitate, que ullo mo-
do inde poterit preuenire, in proprium tradidimus. Ea uidelicet
ratione, ut uenerabilis sanctæ præfate ecclesie præful Eberhardus,
omnesque successores ejus, de prefato prædio liberam debinc potesta-
tem habeant obtinendi, tradendi, commutandi, precariandi, vel quic-
quid sibi placuerit, ad usum sanctæ ecclesie inde faciendi. Et ut
hæc regie nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa per suc-
cedentium temporum momenta permaneat, hanc cartam inde conscrip-
tiā manu propria, ut infra videretur, corroborantes, sigilli nostri im-
pressione iussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici terciī regis invicissimi.

Theodericus Cancellarius vice Bardonis archicancellarii re-
cognovit.

*Data IIII. Id. Sept. Anno dom. incarnat. Mill. XL. VI. Indict.
XIII. Anno autem domini Henrici terciī ordinationis ejus XVIII.
regno vero VIII. Actum Augustæ, in Christi nomine feliciter,
Amen.*

Sulza non multum nobis operæ faceſſet. Oppidum eſt Thuringie ad Ilmum fluvium, coctura ſalii, unde & ipſi nomen, non incelebre. Antiquissimum eſſe non hæc ſolum literæ, fed & aliae docent a. 1064. datæ, ex qvibus ſimul conſtat, jam tum ibi fuiffe monaſterium, qvod ſuccellu temporis in Collegium Canoniconum fuit mutatum. Reliqva illius nunc non adtingimus. In valle quidem urbs ſita eſt, fed montibus ubi viſ circumdata, ex qvibus, docente Matthæo Willio, illius urbis historico, unus eſt, qvi dicitur *Castel- lum Vetus, die alte Burg,* qvod eſt iſpum hoc noſtrum burgwar- dium. An idem *Castelli Salis, der Saltzburg,* nomine uenerit, qvod

qvod Auctor dictus adfirmat, (a) non facile dixerim; certe nullam probationem Auctor adjectit. Villa *Croelpa* sita est eis Salam, non procul ab influxu Ilmi, & villa Saleck.

Alterum Burgwardium est *Tuchwiba*, in qua sita fuit villa *Widtha*. Hæc possit esse *Wita* vel *Weta*, ad rivum cognominem sita, qvæ juxta Schœnburgum, arcem veterem, in Salam influit. Sed de *Tuchwiba* adhuc incertus sum. Habemus *Taucham*, villam ad rivum Rippach, juxta oppidum Mølsen. Sed obstat hoc, qvod illa olim dicta est *Tuchin*, sita a. 1041. in Burgwardo Trebeni & pago Zcudici. (b) Igitur ampliandum censeo, donec tempus nos certiora doceat. Magnæ adhuc sunt tenebræ in Geographia mediæ ævi, & nostrarum qvoqve regionum, qvæ non nisi tempus futurum discutiet.

XXIII. Burgwardum Langenberch.

Concessum est ab Henrico IV. Imp. a. 1060. ecclesiae Numburgensi, qvod docent literæ sequentes:

*C. In nomine sancte & individue Trinitatis. Heinricus di-
vina favente clementia Rex. Omnia fidelium nostrorum, tam pre-
sentium, quam futurorum pie devotioni pateat, qualiter nos pro
remedio anime nostri genitoris Heinrici felicis memorie, nec non per
interventum matris nostre Agnetis Imperatricis auguste & Anno-
nis Colonensis archiepiscopi, & ob fidele servitium Eberhardi
Nuenburgensis episcopi, burgwardum Langenberch dictum, juxta
fluvium Eätera, in comitatu Ottonis marchionis situm, cum cete-
ris bonis & judiciis ad illud pertinentibus, hoc est, utriusque sexus*

A 3

man-

(a) Willii Top-hali-graphia Sulzensis p. 2. 21.

(b) Dipl. apud Schamelium in Miscellaneis von der Probstey Sibkaren, p. 41.

mancipiis, areis &c. --- in proprium dedimus ecclesie Nuwenburgensi, Ea uidelicet ratione, ut p̄dictus episcopus Eberhardus omnesque successores sui de p̄fato burcwardo liberam potestatem habent tenendi, dandi, commutandi, precariandi, vel quicquid eis pro sue ecclesie usu inde placuerit, faciendi. Ut ergo hæc nostra regalis donatio sue confirmatio stabilis & incontraſta omni permaneat euo, ³ hanc cartam inde conscriptam manu propria corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici quarti regis.

Fridericus Cancellarius vice Sifridi Archicancellarii recognovi.

*Data XIII. Kl. decembris, Anno dominice incarnationis M. LX.
anno autem ordinat. Heinrici quarti regis VII. Indiſt. XII. regni ve-
ro IIII. Aet̄um ad Wa'ahusan, in Dei nomine, Amen.*

Castrum illud *Langenberg* hodieque adest, ad Elistrum fluvium,
haud procul ab urbe Gera distitum.

XXIV. Burgwardum Schonburg.

Occurrit recentioribus adhuc temporibus, qvum alibi burgwardiorum nulla superfuit mentio: nam & seculo XV. qvod supra docuimus, districtus in his regionibus burgwardum vocabatur. En vero tibi diploma:

*In nomine Domini, Amen. Ne vite gesta ab hominibus, in obli-
vionem deveniant, eternari solent testimonio literarum. Hinc est,
qvod nos Henricus Dei gratia Numburgensis ecclesie Episcopus,
recognoscimus, & praesentibus literis publice profitemur. Qvod Reve-
rendus in Christo pater ac dominus, dom. Ulricus, ejusdem ecclesie
Episcopus, bone memorie, noster predecessor, aliquibus retroadis tem-
pori-*

DE BVRGWARDIIS SAXONICIS.

7

poribus novem mansos sitos in campo ville Czebekur alienasset ab ec-
clesia sub hac forma, videlicet, quod apud dominum Abbatem & con-
ventum monasterit Portensis proprietas dictorum mansorum remane-
ret, & in recompensam ipsorum dominus Abbas & sius convenitus
prediclus, trium marcarum redditus in districtu castri Schonburgk,
quod proprie Borcwarde nuncupatur, Numburgensi ecclesie compa-
rarent: quamdiu vero hujusmodi redditus ecclesie comparassent, Ab-
bas, qui pro tempore esset, tres marcas dominis & Capitulo ecclesie
Numburgensis, de clauistro annis singulis ministraret. Cum vero
prediclus dominus Ulricus ingentibus ecclesie sue necessitatibus de ali-
qua summa pecunie indigisset, pro eisdem tribus marcis, de consensu
sui Capituli, triginta marcas argenti a domino Abate & suo conventu
prediclo, renunciante Capitulo in eisdem mansis omnibus juribus, ac-
ceptavit, quam pecuniam dominus Ulricus Episcopus prediclus in ne-
cessarios usus ecclesie distribuit & convertit. Sed reverendus pater ac
dominus Sepediclus nobis, ne tam consolatio Canonorum suorum, quam
anniversarii de eisdem bonis in ecclesia instituti, aliqualiter deperirent,
quoddam molendinum sium in villa Cruppen cum viginti septem mo-
diis ordei, qui dantur de septem mansis Episcopalem suis in campo
ville ejusdem, in restaurum predictorum bonorum, ad Ecclesiam & Ca-
pitulum Numburgense translulit pleno jure. Nos vero propter ca-
rentiam privilegiorum & literarum, que, ut intelleximus, per ne-
gligentiam sunt distracta, ipsum molendinum & ordeum predictum
ad nos & mensam nostram Episcopalem resumimus, sicut prius.
Sed quia nunc de negotio & facto plenius sumus instrudi, & nobis
domini & canonici nostri pro voluntate nostra in aliqua summa pe-
cunie gratuitē subvenerunt, cavere summa diligentia volumus, ne per
nos aut nostros successores & Capitulum, dubium de predicio molendino
seu ambiguitas de cetero oriatur, sepedictum molendinum in Crup-
pen, cum omni emolumento, jure, fructu & uilitate, que ipse
nunc insunt, seu in futurum inesse poterunt, cum viginti septem
mo-

modiis ordeis, prenotatis Ecclesie & Capitulo Numburgensi dedimus, donavimus & tradidimus, & presentibus damus, donamus & tradimus de consensu totius Capituli, proprietatis titulo perpetuo possidendum: nichilominus predictum molendinum ab omnibus exactionibus, precariis seu vexationibus quibuscumque, a nobis & a nostris Advocatis institutis, liberam esse volumus & solutum, Ita tamen, ut qui obedientiarii dicti molendini fuerint, Anniversarios istos, videlicet Anniversarium Adelheidis Comitissae, qui est pridie Idus Februarii, Anniversarium Ludovici Comitis, qui est pridie Nonas Maii, Anniversarium Adeleheidis Comitissae, qui est XIII. Kl. Septembbris, peragi faciat, prout sunt primi-
tus instituti. Verum quoniam de pecunia nobis per Capitulum data domini Ludovici de Deinstete, nostri Canonici bone memorie, pars exigit aliqualis, volumus & statuimus, ut idem obedientiarii Anniversarium suum similiter in ecclesia peragi faciant, in hunc modum videlicet, ut Canonico praesenti in choro ad vigilias dentur sex denarii, Vicario Chori iij denarii, Capitulo viij denar. & touidem in missa pro defun-
dis. Ecclesiasticis dentur IIII. denar. Item quinque modii anone ad Stipam cum talento ad cereum procurabitur. In cuius rei testimonium praesentem paginam sigillo nostro ac nostri Capituli fecimus communiri. Et nos Ernestus Dei gratia prepositus, Vlrcus Decanus, totumque Capitulum Numburgensis ecclesie, ad exprimendum nostrum consensum premisis omnibus voluntario accessisse, Sigillum nostrum, quo in ecclesia utimur, presentibus duximus appendendum. Actum & datum anno Domini M° CCC° XI. Idus Martii.

Castri Schoenburgensis reliquiæ hodienum visendæ sunt Leuco-
petra Numburgum præfiscientibus.

XXV. Burgwardum Walhusin.

Memoriam ejus conservant literæ Conradi II. Imp. jam quidem typis editæ, sed tamen non incommodo hic repetendæ, quia libelli, in quibus exstant, (c) non adeo a multis teruntur. In

(c) Dipl. apud Wideburgium Specim. I. rerum Misnicarum p. 76. & in Antiquq. Marchionatus Misnici II. p. 144.

DE BVRGWARDIIS SAXONICIS.

9

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Chuonradus divina favente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Noverit omnium Dei nostrique fidelium universitas, qualiter nos, ob interventum & petitionem dilectae conjugis nostre Gisle Imperatricis Auguste, & amantissime nostre prolis Heinrici regis, nec non Hunfridi, Magdeburgensis Ecclesie venerabilis Archiepiscopi, fidei nostro Iboni clero, tres mansos sitos in villa Lichicho, in pago Hasslagouue, in comitatu Sigfridi Palatini Comitis, in burguwart Merseburg, & dimidium mansum situm in loco Remmugim in burguwart Walahusin in pago Hasslagouue, in Comitatu Hermanni Marchionis, cum omnibus ad eosdem pertinentibus; cum areis, edificiis, mancipiis viriusque sexus, agris cultis & incultis, pratis, pascuis, campis, silvis, venationibus, molis, molendinis, aquis aquarumque decursibus, punctionibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, questis & inquirendis, seu cum omni utilitate, que ullo modo inde provenire poterit, in proprietatem tradidimus, & de nostro jure atque dominio in ejus jus atque dominium omnino transferimus, eo quoque tenore, ut predictus noster fidelis Ibo liberam deinceps de eisdem mansis, potestatem habeat tenendi, tradendi, vendendi, commutandi, posterisque relinquendi, vel quicquid sibi placuerit, inde faciendi. Et ut hec nostre tradicionis auctoritas stabilis & inconclusa omni permaneat euo, hanc kartam inde conscriptam subtusque manu propria corroboratam sigillo nostro jussimus insigniri.

Signum Domini Chuonradi Invictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Vdalricus Cancellarius, vice Aribonis Archicapellani recognovit. Data XIII Kal. Septembbris, Indictione XI. anno dominice incarnationis Millefimo XXVIII. Anno autem Domini Chuonradi Secundi regis III. Imperii vero II. Adum Walahusin, feliciter. Amen.

B

Wal-

Walhusa notissima est urbs Thuringiae ad Elmum fluvium, & palatium feculo X. & XI. in quo Imperarores nostri sepiissime versati sunt. Habemus Jo. Ge. Leuckfeldii *Antiquitates Walhusanas*, qui hæc latissime prosequitur, sed ita tamen, ut labor illius quotidie novis accessionibus augeri queat. Villa *Remmugim* mihi non est nota: *Bennungen* non longe inde remota est. Sed potest etiam prior illa dudum intercidisse.

XXVI. Burgwardium Ranis.

De hoc me per literas docuit Vir Reverendus, M. Christianus Gotthelfff Stemlerus, Pastor Drebanus, qui historiam Comitatus Arnshaugiensis, & urbis Neostadiensis ad Orilam, meditatur: sed plura de illo non memoravit. Igitur publice illum hortor, ut, quæ de vicinia illa, nondum satis illustrata, observavit, cum orbe eruditio communicare ne dedignetur. Vrbs autem illa sita est in præfectura Arnshaugensi, inter Neostadium & Ziegenrückam, non confundenda cum alia cognomine, quæ in præfectura Gommerana sita est, & vulgo pars terrarum Burggraviatus Magdeburgensis, sed perpetram, habetur.

XXVII. Burgwardium Nienburgense, trans Mildam & Hazzeckenrod.

Memorantur in diplomate monasterii Nienburgensis, quod a. 1234. datum protulit Cel. Beamanus. (d) Verba sunt: *Omnes homines Burchwardi Nienburgensis, Litones, Aliſtæ & Censuales Ecclesiæ venient in Curiam Abbatis, & ibi coram Advocato vel Nuncio ejus stabunt ter in anno. --- In universo Burchwardio trans Mildam & pertinentibus ad ipsum non præsidebit Advocatus judicio, nisi ter in anno, & convenient omnes in curiam Mildensem ad illud judicium exer-*

cer-

(d) Hist. Anhalt. tom. V. p. 72.

DE BVRGWARDIIS SAXONICIS.

ii

cendum. --- *Mercatum, moneta, theloneum & prefectura in Hazzeckenrod stabunt in potestate, jure & usu Abbatis Nienburgensis: Advocatus vel Nuncius ejus praefidebit ibidem in judicio ter in anno. -- De supra dictis tribus Burchwardiis non exhibebitur aliquid servitium advocate.*

Loca illa in terris Anhaltinis facillima sunt inventu, Nienburgum & Harzgeroda. Mildensee olim fuit Conventus Canonicorum, qui postea Nienburgum translati sunt.

Porro ex his, quae de Burgwardiis hoc usqve spicilegii instar concessimus, Lector observabit, quam multa adhuc restent in Geographia medii ævi terrarum nostrarum accurate pervestiganda. Noftrum igitur est, porro quoque colligere, quæcumque in hanc rem faciunt: fructum laboris nostri demum posteri perspectum habebunt. Qvod supereft, in posterum, Deo volente, de *Burgwardis extra Saxoniam*, qvædam memoratu digna proferemus.

* * *

Nunc deniqve ad id accedendum, cuius gratia hoc schedarum genus in publicum edi solet. Rursus producuntur quidam e nostris, qui testimonium suorum apud nos laborum publice existare cupiunt. Materias orationum suppeditavit Epistola Senecæ XXVI. ex qua singulas DE MORTE sententias singulis dedit elaborandas. Prodibunt autem seqentes:

1. JO. FERDINANDVS BECKER, Dresdensis, de hac sententria differet: *Egregium est, mortem condiscere.*

2. JO. MICHAEL SCHVMANN, Thalwicensis, de illa: *Semper descendum est, quod an sciamus, experiri non possumus.*

3 CA-

3. CAROLVS FRIDERICVS BIELITZ, Sediliensis, hanc tertiam evolvet: *Meditare mortem. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet.*

4. CAROLVS HEINRICVS EBELT, Plavia Variscus, de sequenti differet: *Qui mori didicit, servire dedidicit.*


5. JO. FRIDERICVS FAVST, Dresdenis, de illa ager: *Incertum est, quo te loco mors expectet. Itaque tu illum omni loco expeta.*

6. JO. GOTTLLOB OHRISIUS, Lockwicensis, hanc persequetur sententiam: *Quid egeris, tunc apparebit, cum animam ages.*

7. HENRICVS ZACHARIAS GLEDITSCH, Plaviensis ex vicinia nostra, ultimam proponet: *Non timide ad illum diem compenor, quo, remotis strophis, de me judicatus sum.*

Qvum Seneca suo more de morte loqvatur, nostri nostro, hoc est, christiano modo loquentur, meliora quippe ab ipso divino Numinе edocti. Has igitur de morte meditationes ut bonarum literarum Patroni & Fautores omnium ordinum benevole audire, & Scholam nostram præsentia sua cohonestare dignentur, summis ab hisdem precibus rogo ac contendeo. Faxit Supremum Numen, ut ad mortem omnes recte præparemur, eamque, cum tempus erit, læti subeamus. Scrib. die xxx. Septembbris
cīcī cīcī





Po

Pon 2d 5497.



3

Sk



mc

34 - 32

ANALECTA
DE
BVRGWARDIIS
SAXONICIS
TER TIA.

SIMVL VERO

AVTORES AC PATRONOS

AVDIENDAS


IONES VII.

TOBRIS clo 10 CC L.

ENTER INVITAT

VS SCHOETTGENIVS,
RECTOR.

DRESDÆ,
is KRAVSIANIS.



23.